

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2453

Auteur(s) : Guillaume de Grestenville [particulier]

Bénéficiaire(s) : Coutances (hôtel-Dieu)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1248

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume de Grestenville vend à l'Hôtel-Dieu de Coutances pour treize livres tournois, une rente annuelle de vingt-cinq boisseaux de froment, plusieurs pains, plusieurs gelines ou des deniers pour les pains, à Yvetot.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° LX, p. 47-48.

Texte établi d'après a

Sciant omnes presentes et futuri quod ego Willelmus de Grestenvilla dedi et concessi finaliter domui dei Sancti Spiritus et beati Anthonii Constanciens et priori et fratribus ejusdem loci, pro tredecim libris turonensium, quas de bonis suis dederunt michi et persolverunt, viginti et quinque boissellos frumenti ad mensuram de Yvetot, ad festum sancti Michaelis et panes et gallinas seu denarios pro panibus, annui redditus, quem redditum michi reddebant annuatim homines inferius nominati, de tenementis que tenebant de me in parrochia de Yvetot, quos predictis priori et fratribus attornavi et assignavi ad reddendum eis de cetero annuatim redditus et faisantias quos habebam in eis, ratione illorum tenementorum ; videlicet in Petro Hugonis quinque boissellos frumenti, VI gallinas et VIII^o denarios pro panibus ; in Henrico de Fouetel quinque boissellos frumenti, duas gallinas et III denarios pro panibus ; in Radulfo Blondel tres boissellos frumenti et duos denarios pro panibus ; in Radulfo Haimon de Corbeauville .III. boissellos frumenti et III denarios, in Warino de Buisson unum quarterium frumenti, .J. panem et .J. gallinam ; in Emelota Blanche unum quarterium frumenti ; in heredibus Au Coete unum boissellum frumenti et II denarios. Habendum et percipiendum in perpetuum de cetero predictis Domui Dei et priori et fratribus ejusdem libere et pacifice et quiete, cum omni etiam alio jure quod habebam et habere ego et heredes mei poteramus et excidere nobis poterat in predictis hominibus et tenementis, sine reclamatione et contradictione de cetero mei et heredum meorum. Et ego et heredes mei tenemur predictis domui et priori et fratribus hec predicta omnino garantizare et deliberare contra omnes, vel alibi in propria hereditate nostra ad valorem excambiare, si forte garantizare non possemus. Et hec omnia juravi supra sacrosancta evangelia me fideliter observaturum et quod de cetero contra non veniam ullo modo. Et ut hoc firmum sit in perpetuum et stabile, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi ; ad majorem firmitatem sigillum venerabilis viri magistri Johannis de Esseio, archidiaconi Constanciensis, una cum sigillo meo apponi precavi. Actum est hoc anno gratie M^o CC^o XL^o octavo.